

gotiis, sæculo nequam et rebus sæcularibus vanis et fluxis; adeoque peccata, quæ servum et vilem efficiunt hominem, fugiamus, virtutes vero in quibus solis vera nobilitas consistit, amemus et sectemur. Audi apost. dehortantem Corinthios a Venere et gula in quam propensi erant, I. Corinth. VI. *Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro*, quasi diceret: Cum sollicitat vos diabolus, et offert vobis pro vestra libertate et nobilitate brevem et turpem voluptatem, nolite eam vendere: sed maximi vos ipsos æstimate, quia maximo empti estis. Quare uti gloriosum est Christianis, vocari emptos a Christo, ita ignominiosum vendi iterum diabolo. Ut enim Christianorum filii empti a Turcis et ad Turcismum traducti dicuntur Mamluchi, id est, empti; quod nomen modo infame est, ita qui se iterum jugo diaboli subjiiciunt, jure Mamluchi diaboli vocantur. Itaque crucem in fronte pingimus, ut nos servos Christi emptitios et nobiles ejus protestemur, ac virtutis admoneamus. Unde S. August. ait: *Cognosce homo quanti sis, et quantum debeas: pretium quo emptus fuisti, considerans, parum ne te æstimes, neque ad hujus mundi abjecta descendas*. Sanctus ille Tobias accepturus conjugem suam Saram, monet eam primis tribus noctibus abstinere a conjugio debere, ac Deo per orationem potius jungi. Unde ait: *Sara exurge, et deprecemur Deum hodie, et cras, etc. filii quippe sanctorum sumus, et non possumus ita conjungi sicut gentes quæ ignorant Deum*, Tob. VIII. Ad hunc modum dicant Christiani: Empti Dei sumus, nec possumus ita vilibus voluptatibus nos tradere, et vendere diabolo.

IV. Quia ad imitationem Christi nos excitat et accendit: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini*, ait Petrus, I. Petr. IV. quasi diceret: Consideratis Christi cruciatibus, ad eosdem vel similes pro Christi gloria fortiter subeundos animum inducite. Et hoc monitum proponit nobis signum crucis in fronte efformatum, adeoque ob oculos positum, quasi insinuans id quod apostolus ad Hebræos XII. ait: *Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet*. *Reco- gitate enim eum, qui tolerans sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes*. Sfortia dux Francisci filius, cum aliquando in extremas angustias ab hostibus, anxius huc illuc volveretur, et nequicquam militem suum vocaret, patris effigiem (quæ forte in conspectu erat) intuitus: *Equid, exclamat, dive parens, degeneres erimus: et hosti*

sine conflictu cedemus? Audendum potius: dictoque citius in hostem gloriosus irruit. Gagninus, de rebus Gallicis in append. de Lud. XII. Sic etiam aspectus et præsentia vexilli crucis in prælio propositi animavit ad pugnam Constantini Magni exercitum.

Itaque per signum crucis Christum quasi sigillum quoddam imprimimus nobis. In hoc omnis negotiatio, omne Christianorum studium consistit, ut Christum in se efformet per sanctam conversionem: *Nam Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minime imitatur*, ait S. Aug. de vita christi. Et quia plurimi longissime aberrant, et pro Christo pingunt in se Judam, aut Venerem aut ipsum cacodæmonem: idcirco per signum crucis sæpe nobis proponenda imago Christi. Vis concipere amorem Dei? Crucem aspice, in quam tradidit Deus Filium suum, et Filius seipsum amore tui. Vis concipere spem? Crucem intue, quid enim tibi negabit qui Filium tibi, et pro te in crucem dedit? Difficile tibi videtur, alteri te subjicere aut cedere? Crucem forma, ibi videbis ultimo et contemptissimo loco Christum. Asperum tibi est injurias sufferre? Crucem pinge, et audi contumelias quas ibi sustinuit Dominus. Durum est jejulare et similia opera poenitentiae suscipere? Crucem vide: quam durus ille lectus fuit? Quam asperum illius pulvinar? Quam amarus ibi potus?

V. Quia affectum commiserationis erga Christum in nobis commovet. Si enim D. Gregorius Nyssenus visa imagine qua immolatio Isaaci representabatur, ubertim lacrymas fundebat, uli de seipso testatur, oration. de Abraham, quid nos facere deberemus, viso vero Isaac immolato pro peccatis nostris, quem nobis demonstrat signum crucis? Sane apostolus ad Philipp. II. ait: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, scilicet sensum fuit*. Etenim licet passio Christi ex una parte gaudium nobis pariat, in quantum fuit causa nostræ redemptionis, et clavis paradisi; ex altera tamen parte, quatenus pro nobis tantum suscepta est, et a peccatis nostris causata, dolorem et compassionem perpetuam a nobis requirit. Alia ratio est in sanctorum martyrum festivitibus, in quibus lætamur, propter eorum consummata martyria, quia nec per nos passi sunt, nec pro nobis. Quare etiam paschali et quovis anni tempore decet nos reminisci passionis Christi cum doloris sensu. Ideo post resurrectionem suam Dominus cum discipulis non solum favum mellis comedit, sed et piscem assum. Favus mellis gaudium resurrectionis, piscis assus Christum in cruce tostum representat. Hinc Palæmon in die paschæ oleum sibi appositum, tam-

quam cibum lautiozem, comedere recusavit, capillos suos lacerans et ubertim plorans ac dicens: *Dominus meus crucifixus est, et ego nunc oleum comedam*, ex gestis S. Pacomii §. VIII. Hujus igitur jugis recordationis admonet nos signum crucis: et sicut galli cantus Petrum post negatum Christum suum semper admonuit negationis, et ad uberem fletum commovit: ita admonet nos crucis signum scelerum nostrorum, quibus Christum crucifiximus.

VI. Quia valet ad extinguendas passiones nostras et tentationes; quæ enim esse passio vel tentatio potest, quæ in cruce Christi remedium non inveniat? Superbia ibi extinguitur, cum Dei Filius inter latrones in cruce pendere cernitur: avaritia extinguitur, cum aspicitur idem non habere in cruce ubi reclinet caput, nobis vero totum suum sanguinem effundere: luxuria extinguitur, cum cernitur circumdatus doloribus, cruentatus, pallidus, moribundus: invidia necatur, cum auditur latronem recipere in regnum suum; ita, cum auditur quidem orare pro suis inimicis, non tamen conqueri de tot injuriis: gula, cum sitibundus non nisi aceto potari consideratur: acedia, cum expirans auditur clamare ad Patrem, etc. Quare sicuti aspectus serpentis ænei in pertica exaltati sanavit morsus serpentis, Num. XI. ita aspectus crucis sanat tentationes mortiferas. Hanc vero nobis ante oculos ponit signum crucis in fronte pictum. Quamprimum igitur sentis ejusmodi morsum aliquem, mox imprime tibi crucem, et in ea Christum aspice, quasi coram te pendentem, qualis erat in cruce, et dic: *Itane tu Domine hæc omnia pro peccatis meis exantlasti, et ego rursus tibi vulnera nova infligam, aut vetera illa renovem?* Absit, absit. Bene ergo Chrysost. hom. LV. in I. ad Cor. ait: *Quando igitur te cruce signas, universam tecum crucis causam verte, et iræ ac reliquorum passionum incendia extingue*.

VII. Quia consolatur in adversis et quibuscumque tribulationibus. Figuratum id est Exod. XXXV. per signum quod ostendit Moysi Dominus, quod projectum in mare, aquas amaras, dulces fecit aquas illas et potabiles: sic enim crucis virtute sanctis omnis labor et dolor dulcescit. Cogita enim primo, quid sit cucula tua respectu crucis Christi? Secundo, quis tu respectu Filii Dei? Tertio, humeris tuis debetur crux, quia varie commeritus es: sed qui facit crux in humeris Dei?

Hæc itaque cogitemus, cum cruce nos signamus. Nam tametsi etiam vim et efficaciam habet ex opere operato, cum nihil horum actu cogitas: multo tamen efficacior est, cum ejusmodi cogi-

tationes adhibes. In priore eventu crucis signum est instar gladii gestati in vagina super femur: in posteriori, instar gladii nudati et gestati in manu ad pugnandum. Quare sicut Saul lanceam suam semper ad manum habuit domi, ut I. Reg. VIII. et XIX. ad mensam, cap. XX. in silva, c. XXII. ad cubile c. XXVI. et sicut Elisæus semper solitus est gestare baculum suum, IV. Reg. IV. ita nos non debemus inter tot vitiorum hostiumque canes absque signaculo crucis incedere, ut monet Cassianus, lib. I. de institutis cœnob. cap. IX.

CONCIO V.

AD CRUCEM TRIBULATIONIS PORTANDAM QUÆ INVITENT.

I. Crux omnibus communis. — II. Necessaria. — III. Tolerabilis. — IV. Salutaris. — V. Gloriosa. — VI. Denam Dei.

THEMA.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis. Joan. III.

Nihil nobis consuetius est, quam ut ægros, et quoscumque in tribulatione positos soleamus adhortari, ut forti et æquo animo crucem suam portent. Sed facile hoc dicitur, non inde tamen æger et oppressus valde sublevatur. Fortiores igitur adhibendæ sunt machinæ, et nervose persuadendum, fortiter esse gestandam crucem: id quod nunc facere conabimur.

I. Alacriter gestanda crux, quia est communis omnibus. Ait enim apostolus, I. Tim. III. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Patientur enim multos adversarios, obtretractores, invidos, persecutiones a mundo, carne, dæmone. Percurre quotquot a mundo fuerunt justis, non reperies vel unum qui a cruce liber fuerit. Quæ enim et quanta pertulere, Abel, Abraham, Loth, Jacob, Joseph, Moyses, David, Tobias, Job, propheta, Macchabæi, apostoli, martyres, confessores? Horum numero si te excludes, cœlo te excludes: imo et collegio Christianorum, omnibus enim dixit Dominus: *Qui non bajulat crucem suam et sequitur me, non est meus dignus*, Matth. X.

Sed nec illi, quos maxime existimavimus cruce carere, crucis sunt expertes. Omnes enim maledictioni Adami subjecti sunt. Et licet aliquor am cruces nos lateant non tamen ab aliis absunt. Fortunatissimos existimamus reges et qui divitiis affluentes, otiosam vitam degunt: ii tamen

maximas experiuntur tristitias, curas, invidias, insidias, morbos, fastidia. Bene igitur et vere dixit Solon, apud Val. Max. I. VII. c. II. « Si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum, ut propria reportare domum, quam ex omni miseriarum acervo, portionem suam ferre malent. » Quo colligebat non oportere nos quæ fortuito patimur, præcipuè et intolerabilis amaritudinis judicare.

Scelerati domum, qui cupiditatibus suis obsequuntur, gravissimas omnium cruces gerunt, quodque pessimum est, inutiles: *Nam inter omnes tribulationes humanæ animæ, inquit August. Psal. XLV. nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum.* Bonus enim vir, si a tribulationibus externis confugiat ad conscientiam, ibi invenit Deum: malus autem vir fugiens ad conscientiam, invenit carnificem. Quod si reprobi crucem non sentiunt, sed: *Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis, Prov. I.* non ideo tamen cruce carent. Sunt enim in cruce quodammodo enecti, et sentient aliquando crucem suam, licet sero nimis, cum dicturi sunt: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles, Sap. V. in monte Calvariæ crucem habuit innocens Christus; crucem habuere nocentes latrones.* Inter hos crucem habuit pœnitens, crucem habuit impœnitens; sed iste infructuosam, ille fructuosam. Quis non eligat potius crucem Christi, aut latronis boni, quam mali?

II. Quia est necessaria. Hæc enim unica est ad cœlum via: *Quoniam per multas tribulationes, aiunt, apostoli Paulus et Barnabas, oportet nos intrare in regnum Dei, Actor. XIV.* Imo Christus de seipso ait, Luc. XXIV. *Nonne hæc oportuit pati Christus, et ita intrare in gloriam suam?* Et in hodierno evangelio: *Exaltari oportet Filium hominis, scilicet in crucem.* Si ergo oportuit Christum per tribulationem passionis intrare in gloriam suam, quanto magis non per eandem viam oportebit intrare in gloriam alienam? Hujus necessitatis causa una est, ne inhæreamus terrenis bonis, sed futura solida appetamus. « Si enim, inquit S. Chrysost. hom. VI. ad Antioch. cum sunt tot tristitiæ, et pericula, et timores, et curæ nos undique circumeuntes, tam libenter præsentem immorantur vitæ, si nihil horum esset, et absque tristitia et ærumnis omnibus tota foret vita nostra, quando nunquam futura desideraremus? Sic et Judæis Deus fecit: volens enim et illos in reditus cupiditatem inducere, et ut Ægyptum odissent persuadere, permisit eos lateritio opere et luto laborare, ut laborum et ærumnæ illius magnitudine cruciati, ad Deum clamarent. Ne igitur nos terræ affixi, et præsentibus inhiantes tor-

peamus et futurorum obliviscamur, vitam nobis Deus fecit laboriosam; sicut enim corpus tritum laboribus et ærumnis contactum, amori non vult vacare, non indulgere ventri, sed requiescere, et quiete tacere: sic et anima plurimis obsita malis ad quietem et quietam statum festinat. » Alia causa est, ut per crucem homines purgentur a peccatis et compellantur ad vitæ frugem. Quemadmodum enim virga necessaria est in scholis puerorum, ita crux in mundo. Mundus iste fornax est, in qua per tribulationis ignem purgatur aurum a scoria: area est, in qua crucis tribulo purgatur a palea triticum: torcular est, in quo premuntur uvæ, ut liquorem bonum stillent et purgentur a labrusca. Non sit paupertas et penuria, quam multi ab ebrietate et gula nequibunt coerceri? Non sit morbus aut pestis, quam multi ad pœnitentiam et seriam confessionem nunquam adigunt? Non sit carcer et carnifex, quam multi a furtis, latrocinis nunquam desistent, nunquam respicient, sed in sceleribus suis inveterati morientur?

III. Quia tolerabilis: sic enim, Matth. XI. Christus jugum suum suave vocat. Suave primo, fit per consolationem, quam addit Deus. Sic enim apostolus, II. Cor. I. dicit: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt: et mox: Sicut abundant passionem Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra.* Ita Andreas virtutem crucis expertus, nolebat ab ea deponi: Sanctus Ignatius et S. Xaverius nolebant a tribulationibus liberari, nisi Deus dare vellet aliam majorem: Sanctus Chrysost. in exilio ad Caucasum æger licet, semper proficisci jussus et infestatus ab Arabibus, consolabatur alios qui ipsi condolebant.

Secundo, per amorem Dei et rerum cœlestium. Sic pueris, qui serio aspirant ad scientias, leve fit studium, licet mane surgere, libris incumbere, et multa in scholis verbera sustinere cogantur: sic labor venatoribus, navigatio mercatoribus, militia militibus, etc.

Tertio, per usum: sic miles assuetus armis suis levius ea portat. Deposuit arma Saulis David pugnaturus cum Goliatho, quia non habuit usum, I. Reg. XVII. ita multi crucem abjiciunt per impatientiam, quia non sunt assueti; sed quam facile tandem tolerantur diuturni carceres et morbi, cum necessitas compellit.

Quarto, per comparisonem cum jugo peccati et gehennæ. Nisi enim isto levior esset crux, non diceret Christus: *Venite ad me omnes, qui labora-*

tis et onerati estis, etc. ergo pro gravi onere leve imponit onus.

IV. Quia salutaris et maximæ mercedis: sic enim apostolus ad Rom. VIII. ait: *Non sunt condignæ passionem hujus temporis ad futuram gloriam: et II. Cor. IV. Leve et momentaneum tribulationis nostræ æternam gloriæ pondus operatur.* Modicum stipendium promissum et non datum, forte nec dandum, allicit militem, ut ponderosam armaturam gerat et vitam exponat belli periculis, et incommodis plurimis. Quid ergo non toleremus nos pro æterna mercede? « Si quotidie, inquit S. Augustinus, serm. I. de festo omnium sanctorum, oportet nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus, in gloria viventem, et sanctorum ejus numero sociari, nonne est dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur? » S. etiam Franciscus dicebat: « Tanta est gloria quam expecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humilitatio omnis, persecutio omnis, mortificatio omnis. » Cæterum ea tribulationis merces non videtur posse æstimari et intelligi, donec ad patriam illam, quam speramus, perveniamus. Ut enim pueri in scholis, cum per verbera et virgas erudiuntur in bonis litteris, non intelligunt, quantum boni sibi virgæ illæ attulerint, donec aliquando ad maturam ætatem perveniunt, et doctorali laurea insigniti, publice honorantur, commendantur, et ad opes atque honores evehuntur: ubi demum agnoscunt se, nisi parentum et magistrorum castigatio fuisset, nihil aliud fore nisi idiotas et rusticos: aguntque proinde illis gratias: ita quantus sit tribulationum fructus, hic non intelligimus, sed ibi demum in patria. Videmus enim nos per eas reges in cœlo factos, et si tribulatio defuisset, descensuros fuisse ad infernum. Unde apostolus, ad Hebr. XII. *Omnis disciplina, inquit, in præsentem quidem non videtur esse gaudii sed mœroris, postea vero fractum pacatissimum exercitatis per eam reddit justitiæ: et Chrysostomus, hom. LXII. ad Antioch. « Magnum bonum, inquit, tribulatio, et hoc ex nostris discimus filii: nam absque tribulatione nihil utile discerent; nos autem plus illis afflictione indigemus; a puerulis enim nunquam magna committuntur peccata, a nobis magna nimis, pædagogus autem noster tribulatio. »*

V. Quia gloriosa. Ex quo enim a Christo suscepta et gestata est, priorem ignominiam perdidit, et summam gloriam consecuta est. Unde apostolus, ad Galat. VI. in sola cruce gloriatur, dicens: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mundus*

crucifixus est, et ego mundo. Oderant et horrebant primum homines contemptum, paupertatem, dolores, etc. sed postquam his quasi vestibus indutus prodiit Dei Filius, tunc eas velut res nobiles colere cœperunt. Et hoc ipsum est, quod incitare nos ad gestandam crucem debet, Domini videlicet exemplum. Abimelech rex cum ramum quercus e silva præcidisset, et in humeros sustulisset, dixissetque ad suos milites: *Quod me vidistis facere, cito facite, certatim ramos de arboribus proidentes sequebantur duces, Jud. IX.* sic cruce sua Christus præcessit nos, imo tota ipsius vita, nihil aliud nisi crux fuit. Deinde, hortatus est nos ad sequelam: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me, Luc. IX.* Quare si cum eo moriendum esset in cruce et patiendum, prompto animo sequi duces nostrum deberemus: idque fecere alacri, et generoso animo sancti martyres, præsertim S. Petrus, Andreas, Philippus, Bartholomæus, Sixtus papa, Dionysius Areopagita, Calliopius adolescens, Wernerus puer, Julia ancilla, denique Lampertus consul Harlemensis, qui cum a tumultuantibus Calvinistis, quod Romana Ecclesiæ auctoritatem defenderet, patibulo adjudicatus, id a longinquo intueretur dixit: *Quid ex-timescimus lignum? Etenim si olim Dominum gloriæ crucifixum, quid nobis ejus servis expectandum? Anne major servus domino suo, p. Opmerus in martyrol. Holland. manuscripto.* Sed non est omnium hæc sequela, nec eo nos vocat Dominus ut saltem aut abnegantes nosmetipsos, sequamur eum in perferendis tribulationibus, seu ut apostolus dixit: *Mundo crucifixi sumus et mortui, quod si cum mundi leges de hypocrisi, de politica simulatione, de luxu, honore, vindicta, ebrietate, etc. non audimus nec curamus, dicit mundi lex: Accommoda te mundo, simula, ede, bibe quidquid affertur in gratiam aliorum, ulciscere injurias, provocatus ad duellum prodi, tuere honorem tuum. Sed respondeat Christianus, se huic legi mortuum et crucifixum esse, legi vero Christi, quæ aliud præcipit, obstrictum.*

VI. Quia donum Dei et signum amicitiae est, ait enim apostolus ad Philipp. II. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* In quem locum Sanctus Chrysostomus, hom. IV. ait: « Pro Christo patimur est majoris admirationis, quam sit revera mortuos excitare, et signa miranda patrare: nam illic quidem debitor sum; hic vero debitorem habeo Christum. » Similiter S. Petrus, epist. I. cap. II. crucem vocat gratiam Dei: *Hæc est enim gratia, inquit, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste: subditque: In*

hoc enim vocati estis, qui et Christus passus est pro nobis, etc. Hic ergo finis et vocatio est Christianorum, crux videlicet. Neque ferre solum, sed et Deo gratias agere debemus, quia signum gratiæ divinæ est. Quemadmodum Assuerus in signum amicitiae et benevolentiae protendit sceptri summitatem deosculandam Estheræ, Esth. V. ita Deus noster, cum crucem suam nobis porrigit deosculandam, signum amoris exhibet; quia: *Quem diligit Deus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit*, ad Hebr. XII. Nemo nostrum erit qui non agnoscat pro magno Dei dono quod sit Christianus. Atque Christianus quisque in ipso statim baptismo, ad crucem vocatur et preparatur, siquidem in eo tot crucibus consignatur, ut et ipsa baptismatis aqua cum benedicatur. Ibi jam nomen militiæ huic dedimus, cum dæmoni abrenuntiavimus, et Christo nos obstrinximus.

Itaque o milites Christi congregamini ad vexillum vestrum, apprehendite crucem.

CONCIO VI.

QUOMODO CRUX FERENDA.

Patienter. — II. Hilariter. — III. Cum gratiarum actione. — IV. Cum bona intentione. — V. Palam. — VI. Constanter.

THEMA.

Ita exaltari oportet Filium hominis. Joan. III.

Exodi XXV. cum jussisset Deus Moysen extruere tabernaculum, præscripsit et monstravit ei in monte Sinai exemplar tabernaculi faciendi addiditque: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Mystice jubet Deus, ut unusquisque nostrum ædificet ei tabernaculum perfectionis christianæ, ut sit in nobis exemplar in monte Calvariæ Christi crucifixi, ut quemadmodum ille tulit crucem suam, ita et nos feramus nostram. Et sic quemadmodum Christus exaltatus est in cruce, ita oportet exaltari et nos. Atqui hoc est exemplar, quod hodie nobis inspicendum, et tota vita imitandum est.

I. Ferenda patienter. Primo, quia sic eam Christus tulit, quamvis ei ferenda vires haberet impares. Unde in alterius humeros transferenda fuit. Audi prophetantem de ipso Isaiam, cap. LIII. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondeute se obmutescet*. Quis nescit ovem cum ducitur ad macellum, minime reluctari? Et cum tondetur, forte etiam forcipe læditur, non reclamare? Sic se gessit Christus, cum gestaret crucem, et cum non vestibus tantum, sed et cruce,

et sanguine, et omnibus spoliaretur bonis. Fac ergo et tu similiter: nec cura, num tibi ipse elegeris crucem, an alius tibi imposuerit. Tulit enim Christus ab inimicis sibi impositam: tulit eandem Cyrenensis coactus, sed fecit tamen ex necessitate virtutem: cur tu non feras eam, quæ vel ab inimicis, vel a Deo tibi imposita est? Paris meriti, vel etiam majoris est, gestare aliquem, qui te inscio in humeros tuos insiluerit, quam si quem sponte gestandum susceperis.

Secundo, quia etiam Deus fert quodammodo cruces, quas in nos imponimus: « Sustinens in gravissimas nationes, ait Tertull. I. de patientia, ludibria artium, et opera manuum suarum adorantes: nomen, familiam ipsius persequentem, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inolescentem, et cum crebris, imo continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, et præstitutum semel restitutionis diem patienter expectat, cumque habeat in potestate vindictam, mavult diu tenere patientiam, etc. » Hæc Tertull. Et quoties Christum eam novis oneramus crucibus, qui pretium redemptionis ejus effundimus sicut aquam, et pedibus impudenterco neulcamus.

Tertio, quia per impatientiam non alleviabis crucem, sed aggravabis; crucem enim diaboli feres, si nolueris ferre crucem Christi. Latro ille sinister per impatientiam blasphemabat Christum: *Si tu es Christus, salvum fac semetipsum et nos*. Sed num ideo a cruce liberatus fuit? Nihil minus sed ad crucem ligneam addidit sibiabolicam et igneam, cum tamen potuisset illam facere sibi utilissimam, uti fecit socius latro. Nihil effecisset Cyrenensis, si crucem abjecisset et gestare detractasset; sed potius milites exacerbasset, et majora sibi mala accersivisset. Taceo quod Deus impatientiam et murmurationem iniquissime fert, et gravissime punire consuevit, uti videre est in I. Numer. Certe omnes murmuratores exclusit ab ingressu terræ promissæ, Num. XIV.

II. Hilariter. Primo, quia sic suam tulit Christus: *Qui exultavit ut gigas ad currendam viam*, utique illam etiam, quæ duxit eum a domo Pilati ad montem Calvariæ: ob id obvias sibi mulieres a fletu jussit desistere: *Nolite flere super me*, Matth. XXVII.

Secundo, quia crucis magnus est fructus, quem si Cyrenensis cognovisset, quanto gaudio eam gestasset? Certum enim, si Christo socii passionis fuerimus, erimus consolationis: certe etiam apud gentiles Ægyptios crux erat littera hieratica, et designabat vitam venturam, ut scribit Rufinus, I. II. c. XXIX. Sozomenus, I. VII. c. XV. Sozocrates, I. V. c. XVII. Magno utique gaudio tulit

ille agaso ponens auri in domum suam, quod donavit illi Alexander Magnus, licet tantum esset, ut ab asino ferri vix potuerit, Fulgos. I. IV. Quis non mallet ferre crucem, qua celum tam nobilis thesaurus emittitur.

Tertio, quia multos occidit tristitia: *Et non est utilitas in illa*, ait Sapiens, Eccl. XXX. Tristitiam sæculi intellige, quæ nascitur ex inordinato amore, et amissione honorum temporalium, et sæpe mortem operatur, quia incitat, ut cum Dei offensam bona illa recuperes; non illam, quæ secundum Deum est, et parit: *Pœnitentiam ad salutem stabilem*, ut ait apostolus, II. Cor. VII. Hæc enim tristitia tollit peccatum admissum, illa vero non tollit damnnum acceptum.

III. Cum gratiarum actione. Primo, quia: *Est donum Dei* (ut testatur apostolus, Philipp. I.) qui vel imposuit tibi crucem, vel ut imponeretur, permisit. Symbolum suum non dat rex nisi amicissimo et probatissimo militi: atqui crux symbolum et character Christi est. Benevolentiae et gratiæ signum erat, sicuti rex Assuerus porrigebat deosculandam summitatem virgæ suæ, ut videre est in I. Esther. Similiter si Christus faciat quem crucis suæ participem, magnæ gratiæ indicium est; quis hanc illius virgam magno gaudio non exosculabitur? Audi Augustinum, serm. CXI. de tempore: « Quoties aliqua tribulatio, inquit, in mundum venerit; qui boni sunt, veluti sancta vasa gratias agunt Deo, qui eos castigare dignatur: illi vero qui sunt superbi, luxuriosi, cupidi, blasphemant et murmurant contra Dominum, dicentes: O Deus, quid tanti mali fecimus, ut talia patiamur? »

Secundo, quia id fecere sancti tres pueri, qui in camino ignis benedicebant Deum, Dan. III. Tobias ob plagam cæcitatæ non est contristatus, sed immobilis in Dei timore permansit, gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ, Tob. II. similiter et Job, dicens: *Sit nomen Domini benedictum*: sic etiam Paulus et Silas virgis cæsi, et in carcerem conjecti, orantes laudabant Deum, Act. VI. Nec dubium quin et Christus in cruce et ob crucem Patri gratias egerit, quod fecit in suscitatione Lazari, et fractione panis.

IV. Cum bona intentione tulit eam Christus, ut pro peccatis nostris satisfaceret, ut gloriam aliquam mereretur, ut exemplum ferendæ crucis nobis daret. Sic ergo et tu fer crucem tuam: primo, ut per crucis patientiam peccata tua deleas: secundo, ut præmium vitæ æternæ modo aliquo merearis: tertio, ut Christo Domino tuo aliquatenus assimileris.

V. Palam, primo, quia etiam Christus crucem suam palam tulit, in civitate celeberrima Jeroso-

lyma, et maximo hominum concursu; imo ad crucifixum tantus fuit hominum confluxus, ut cum S. Lucas, c. XXIII. vocaverit spectaculum: *Omnis turba eorum, inquit, qui aderant, ad spectaculum istud, percutientes pectora sua revertebantur*. Cur ergo tu erubescas fieri spectaculum hominibus? Qua in re etiam apostoli sequi Dominum suum non erubuerunt, I. Corinth. IV. *Spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus*.

Secundo, quia gloriosa facta est per Christum. Unde apostolus in ea uti et in stigmatibus suis gloriabatur, id est, in cicatricibus, et vulneribus, et verberibus pro Christo susceptis, sibi impressis, Gal. VI. et S. Franciscus tantæ sibi gloriæ ducebat insignitum se esse stigmatibus Christi, ut ea præ humilitate occultaret, quantum poterat. Sanctus etiam Petrus tam gloriosum existimabat crucifigi pro Christo, ut ea gloria se indignum ratus postularet inversim, capite ad terram depresso crucifigi. Denique, imperator Heraclius crucem a Chosroe recuperatam ad montem Calvariæ ex urbe Jerosolymitana gestare voluit publico spectaculo, maximo id sibi honori ducens.

Tertio, quia gloriam æternam parit. Mundo quidem vilis et ludibrium est crux, sed non item cælo, vilis et in speciem abjecta res erat, quærere amissas asinas: et tamen Saul dum asinas quærere, regnum consecutus est, I. Reg. IX. et X. ita licet crucem ferre turpe videatur, maximæ tamen mercedis est, quia regnum cælestis parit.

VI. Constanter. Primo, quia etiam Christus constanter in cruce perstitit, nec provocatus (licet mordaciter) voluit descendere; imo tribus clavis et se affigi passus est. Dicebant improbi illi, si: *Filius Dei es, descende de cruce*, sed ideo de cruce non descendit: *Quia Filius Dei erat*, inquit Sanctus Chrysostomus, homil. de cruce et latrone: et tu, si Filius Dei esse vis, crucem ne abjicias, exemplo Domini tui. Sic faciebat Sanctus Andreas, qui biduo in cruce pendens Deum orabat, ne deponi se pateretur a cruce, eo quod virtutem ejus agnovisset.

Secundo, quia nihil prodest crucem ferre, si ad extremum abjiciatur: *Qui enim perseverat usque in finem, hic salvus erit*. Consecravit David et reposuit in tabernaculo gladium, quo abscedit caput Goliatho jam prostrato, non item lapidem, quo eum prostravit, I. Reg. XXI. Quia fini debetur honor, non principio. Porum, ut arbitror, profuit Cyrenensi ad tempus gestasse crucem, quam ad extremum abjecit.

Hoc tamen non obstante, licet Deum precari, ut crucem gravius prementem, transferre ab humeris nostris velit, sed eo modo, quem docuit